87

Serenissime ett. Agnosco incomparabilem Serenitatis vestræ benignitatem, dum me ignotum, et tanti honoris incapacem literis suis compellare dignatur, et ea mandat, quæ exequi, summæ duco felicitati. Repererunt iussa Serenitatis v[ost]ræ promptissimum ad obsequia animum, cui si facultas correspondisset, et hic quo regimur patriæ nostræ status superâsset studium meum omnem præconceptam expectationem. Hoc vero quantilumcunque, quod præstitum est, subsequetur idem ardor continuandi iam cœpti operis, et meæ indefessæ sollicitudinis. Clarius hæc ipsa exponet dominus legatus testis erit non intermoriture erga Serenitatem vestram observantiæ cuius regalem manum ea, qua par est reverentia exosculor. Varsaviæ.